

Gij. 22.

Gij. 22.

DE
THEORIA HISTORIAE CIVILIS
NONNVLLA.

PARS SECUND.

QVAM
S V B P R A E S I D I O
C A R O L I R E N A T I H A V S E N
P H I L O S O P H I A E P. P. O. A C A D E M I A E E L E C T O R A L I S M O G V N T I N A E
E T R E G I I I N S T I T U T I H I S T O R I C I G O T T I N G E N S I S S O C I I
O R D I N A R I I .

DIE XXVIII. APRILIS MDCCCLXIX.

P L A C I D O E R V D I T O R V M E X A M I N I

S V B I I C I E T

C A R O L V S F R I D E R I C V S L V D O V I C V S S C H A E F F E R
W R A T . S I L . I . V . C .



H A L A E
L I T T E R I S C V R T I A N I S .

2000
2000
2000
2000
2000
2000
2000

VIRO PERILLVSTRI
DE C A R M E R

A V G V S T I S S I M I E T P O T E N T I S S I M I

B O R V S S O R V M R E G I S

I N C O N S I L I O I V S T I T I A E S V M M O A D M I N I S T R O

O M N I V M S I L E S I A E T R I B V N A L I V M S V P R E M O P R A E S I D I

R E L I Q V A.

D O M I N O M E O G R A T I O S I S S I M O.



ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

Я

ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

ІМПЕРІАЛНЯ СІЧЬ

VIR PERILLVSTRIS,
DOMINE GRATIOSISSIME!

Quamvis multis temerarium videri poterit, me
Tibi, VIR PERILLVSTRIS, DOMINE GRA-
TIOSISSIME, hanc dissertationem offerre, tenue pro-
fecto specimen ingenii doctrinaeque nostrae; tamen ex-
cellens ille amor quo litterarum cultores prosequi soles,
et amabilis T A V HUMANITAS, quam admirari mihi saepius
contigit, me facile ab omni suspicione vel temeritatis vel
leuitatis liberabunt. Accedit ad ea, quod in primis TIBI,
DOMINE GRATIOSISSIME, nostrorum studiorum ratio-
nit reddenda, cuius Prudentiae reliquisque virtutibus sa-
pientissimus REGVM, et indulgentissimus Pater Patriae,
SILESIAM suam, ut ciues nostri sub Tuarum virtutum

et sapientiae praesidio vitam tranquillam agerent, tradidit
et commendauit. Condonabis igitur et pietati nostrae
et gratissimo animo, quo beneficiorum Tuorum memo-
riam, quae Patriae nostrae sapienter concessisti, colam,
hanc qualemcumque pietatis significationem; Deumque
immortalem rogo, ut **TE**, **Vir PERILLVSTRIS, DOMI-**
NE GRATIOSISSIME! felicitati Patriae nostrae natum,
diutissime conseruet.

VIR PERILLVSTRIS
DOMINE GRATIOSISSIME
PERILLVSTRI TVO NOMINI

deuotus

CAROLVS FRIDERICVS LUDOVICVS SCHAEFFER.



THEORIA HISTORIAE CIVILIS
NONNVLLA.

§. XIII.

Continuemus igitur hoc argumentum, nomenque heri contractum persoluemus hodie, ne fidem datum fallere videamur. Continet hoc Theoriae studium multo plura difficultia loca, quae ornatissimo huic dissertationis defensori largam dicendi doctrinamque intelligentibus historiarum iudicibus probandi, suppeditabunt materiam. Ordo vero dicendorum postular, ut collocationem factorum in historia populorum illustremus, vel potius quid de ea sentiendum iudicandumque sit, breuiter indicemus.

§. XIV.

§. XIV.

Omnia igitur quae et de vniuerso rerum gestarum ordine et de singulorum factorum collocatione, dicenda explicandaque essent, tuto praetermittam, cum hic locus, quemadmodum iam supra monui, nullo modo historiae vniuersali proprius, sed ad omnem reliquam transferendus sit. Aliam tamen historiae populorum elaborandae difficultatem, a celeberrimo *Gatterero* non sublatam, indicabo. Ple- rique populi, sicuti notissimum est, sive pacis negotia inter se pertractauerunt, sive bella gessere. Si igitur verbi causa (nam eodem modo hoc exemplum et ad aliorum populorum historiam accommodari poterit), res gestas nonnullorum populorum Europae, Hispanorum, Britannorum, Gallorum, porro Danorum, Russorum, Suecorum, Polonorum describam, repetitio factorum, quae alio loco commemorauit, nisi summo studio adhibito, vix euitari poterit. Ita historia pacis Aquisgranensis, Nouiomagensis, Rysuicensis, reliqua ut silentio praeteream, in systematibus et compendiis historiae populorum Europae, primum in historia Hispaniae, porro in historia Gallorum, et iterum ex parte in historia Anglorum com memoratur, denique in historia foederati Belgici repetitur. Haec vero factorum repetitio, non solum plane superuacanea esse videtur, sed etiam peritis lectoribus grauissimum excitabit taedium. Nihil dicam de jaictura temporis opera equae. Igitur ejusmodi negotia sive belli, sive pacis, existimo in ea gentis historia accuratissime enarranda esse, ad quam et quoad originem et progressum, mutationes, denique exitum, proprie pertinent; et si in historia gentis, quae his omnibus vicissitudinibus causam ac originem dedit, iterum occur rent, eas tantummodo attingam. Inter res gestas Ludouici decimi quarti, bellum illud grauissimum quod foederatis Belgici prouinciis inferebat, (in historia populorum Europae) breuiter tantummodo in dicabo, sed secundum omnes causas euentusque in historia Bata uorum commemorabo. Numquam igitur morem intelligentissimi alias,

alias, *Jacobi Schmausii*, et reliquorum sequar, qui eadem vberitate orationis et plane iisdem verbis cum in historia regni gallici, tum Batauorum hanc Reipublicae cladem descripserunt. Denique quatenus alii populi tantummodo in societatem rei gestae peruererint, hic breuissime indicabo, et haec ipsa facta, ad cuiuscunq; gentis historiam referam. Nullo modo vero exemplo aliorum, in hac ipsa historia omnem factorum seriem denuo exordiar.

§. XV.

Nunc et de oeconomia historiae singularis, siue vnius populi, nonnulla dicam, quae in primis ex consilio eam conscribendi diiudicanda erit. Ad omnes omnino ciues diligens historiae patriae lectio, exemplorum domesticorum consideratio, rerumque a maioribus egregie gestarum memoria pertinet. Quomodo siue aliquam Reipublicae partem administrare, siue omnino boni ciuis officium adimplere, denique excuso quodam in Patriam amore ferri poteris, si veluti in ipsis tuis aedibus peregrinari videaris. Quapropter vniuersa oeconomia, et factorum dilectus longe aliter sunt instituenda, quam in iis partibus historiarum, quas supra descripsimus. Etenim, quemadmodum in historia catholica res populorum memorabiles, quoad originem progressum et ultima fata memoriae prodimus; porro in historia Populorum alia iterum Pacis ac belli negotia commemoramus, ita in Historia singulari exemplorum multitudinem proferemus, ex quibus ingenium, fortitudo, amor in patriam, honoris laudumque recta aemulatio, denique reliquae virtutes clarissime perspiciuntur. Est et vitiiis alicuius gentis in historia singulari praecipuus locus, eodemque veritatis amore, vberitate dicendi, exemplisque additis, perfidia, luxus, crudelitas, superbia, et ut breuiter dicam, reliqua vitia erunt enarranda. Ea omnia in historia populorum in vniuersum tantum attingemus, et quatenus rebus vel feliciter, vel infeliciter ab vniuerso populo gestis, causam

B

et

et occasionem dederunt; in historia vero singulari, ea omnia longe luculentius commemorabimus, ut videamus, quibus ex causis omnino quaedam gens sive virtutibus sive vitiis inter reliquas eminuerit. Quapropter in hac ipsa gentis cuiusdam historia conscribenda, non adeo verbi causa solliciti de omnium praeliorum descriptionibus, et omnis antiquitatis origine explicanda erimus, sed potius in ipsos populi mores, in libertatem aliqua instituta diligenter ac sedulo inquiremus, ut ciues nostros ad virtutis studium incitemus, a vitiis retineamus. Ita libertatis amor, honoris gloriaeque aemulatio accenditur. Inde porro eos, hac ipsa descriptione, ad officia alacriter subeunda promptos paratissimosque reddimus. Ex hoc ipso consilio nuper vir acutissimus *Moeserus* a) historiam Osnabrugensem eleganter conscripsit, de cuius libri oeconomia, quoniam ita voluit, quae est doctissimi viri humanitas, proxime sententiam feremus. Secundum mores, instituta, ingeniumque populi enarrandorum ordinem in historia singulari instituam, et quatenus res gestae ad haec ipsa referri debeant, in primis ostendam ac demonstrabo. Igitur primum secundum Epochas historiam populi exponam, qua absoluta, ingenium, litteras, instituta, mores, virtutes denique et vicia adumbrabo. Hanc ipsam oeconomiam sibi elegit intelligentissimus Britannus *Humius* b), et ita magni Historici virtutibus egregie satisfecit; contraria vero ex parte doctissimus ille Batavus *Wagenaar* c), non adeo sollicitus de rebus populi domesticis, magis historiam Europae, licet alias elegantissimam summaque laude dignam, quam foederatarum Prouinciarum Belgici conscripsit.

§. XVI.

Ipsa denique Biographia et ab omnibus 'aliis' partibus historiarum plane diuersam oeconomiam, difficillimamque postulat, iisque legibus

a) Osnabrückische Geschichte.

b) Geschichte von Engelland.

c) Allgemeine Geschichte der vereinigten Niederlande.

legibus regitur, quas semper negliges, nisi singulari ingenii praefstantia, et acerrimo iudicij acumine instructus fueris. Cum haec historia vitam alicuius hominis describat; ex hoc ipso consilio satis patet, quaemadmodum iam vidi acutissimus *Montaigne*, Biographum consilia, ex quibus res populorum gestae fuerint, explicantur esse, nullo modo ipsius populi vicissitudines. Quapropter grauissimus est error eorum, qui vitis principum, omnes praeliorum descriptiones, instituta, mores reipublicae, et ut breui oratione omnia complectar, et res secundas populi et aduersas, immisceant. Neque ita iis ipsis Biographiae legibus satisfaciemus, si tantummodo consilia principis, quatenus Reipublicae aut salutaria aut perniciosa fuerint, explicemus, sed in primis domestica eius vita, virtutes et vicia diligenter sunt examinanda. Ex his ipsis vitarum descriptionibus omnium optime animi humani natura ac indoles intelligitur. Hoc consilio *Plutarchus* et *Cornelius Nepos*, vitas exposuerunt, quas summa cum voluptate legitimus, eamque pulchritudinem laudemque adaequarunt nuper ex nostris, summe venerabilis *Jerusalem d*), et celeberrimus *Riedelius*. Dicendorum vero ordinem in Biographia optime ipsius vitae actionumque humanarum vicissitudines, nobis ostendent. In uniuersum ea omnia clarissimis exemplis, quam regulis intelliguntur, quae in ipso Theoriae studio commemorabimus, et antiquos scriptores praefantissimosque recentioris aetatis, cum *Fassmannis* aliisque comparabimus. Historiae genealogicie, *Annalium*, et *Annalium pragmaticorum* oeconomiam illustrare superuacaneum foret. Quis enim non videt historiam genealogicam omnino leges ac regulas Biographiae postulare, viam vero et rationem, qua in conscribendis Annalibus utimur^{e)}, ex eorum natura ac indole, facili negotio colligemus.

^{a)} Leben des Prinzen von Braunschweig.
^{c)} Denkmal des Herrn Reinhard.

§. XVII.

Quamuis jam supra diximus, secundum ipsius studii historici fines, omnem factorum dilectum, sapienter et cum confilio esse instituendum; tamen de diligentis factorum consideratione, quatenus grauia, aut nullius momenti esse videantur, in hac Theoria praecpta et regulae traduntur ac explicantur. Innumera fere et pulcherrima, praestantissimum historiarum studium, continet praecpta, ex quibus omnes omni modo homines multam sapientiam prudentiamque petere, et ad felicitatem vitae humanae stabiendam augendamque transferre poterunt. In hac vero ipso factorum multitudine, et ea omnino occurrent, quorum memoria nullo modo frugifera et salutaris posteritati, altissimo potius opprimenda erit silentio. Igitur siue de historia catholica, sive historia populorum, siue vnius gentis, siue de Biographia sermo instituatur, ratione dilectus factorum existimo: ea proferenda et emarranda esse, ex quorum cognitione, et res secundae et aduersae aut populorum, aut vnius hominis clarissime pateant. Inde huius ipsius felicitatis, et rerum aduersarum causas diligentissime indagabit et eruet antique fidei et elegantiae scriptor, sapientiam, virtutem, fortitudinemque, in hac rerum humarum varietate demonstratam commemorabit, imprudentiam, errores, scelera ac flagitia viuis veluti coloribus depinget et acerrimo prosequetur dolore, ita ut quilibet in haec illustria animum acriter intendat exempla, et sibi rebusque suis consulat. Felicitas populi, religione, virtutibus, libertate, moribus, legibus, institutis et formula regimini nititur. Ex more nostrorum historicorum, ea omnia, quae tamen in primis frugiferam reddunt historiarum cognitionem, breuissime commemorantur, ita ut veras causas vel crescentis magnitudinis, vel imminentis imperiorum ruinae nullo modo intelligere possimus. Igitur verbi causa, ex lectione praestantissimi Liuii, mores Romanorum, et in vniuersum quibus ex causis Respublica inter omnes reliquias eminuerit, felicitas ciuium floruerit,

floruerit, clarissime perspicio? nullo modo vero et si sexcenties vel *Salignacium f)* vel *Danielem* (disputo de historia recentiori) vel *Barrium g)* legam, mores ingeniumque populorum, rerumque memorabilium causas considerare et indagare valebo.

§. XVIII.

Omnis porro populorum infelicitas infortunatusque rerum exitus, partim ab exigua prudentia ciuili et principis, et eorum penes quos administrandae reipublicae cura versatur, partim a flagitiis eorum, denique ex perpetuis bellis omnem trahit originem. Eam vero populi calamitatem, quae ex domesticis male factis exoritur, recentiorum temporum scriptores vix attingunt, contraria vero ex parte in cladibus bellisque describendis adeo copiosi, ut magis historiam obsidionum praeliorumque conscribere, quam res gestas populorum memoriae prodere soleant. Imitantur igitur, (certe si copiosam orationem consideres) exempla *Xenopontis*, *Thucydidis*, *Polybii*, *Liuui* et *Caesaris*. At enim vero illi partim exercitibus praefuerunt, partim omnium rerum bellicarum initium et exitum vel ex ore imperatorum acceperunt, vel certe ex eorum commentariis posteritati relictis petierunt. Quomodo vero nostri homines, nisi his pulcherrimis subsidiis sint instructi, non dicam de rebus bellicis iudicare sed tantummodo eas accurate describere valebunt? Praeter has ipsas rerum bellicarum descriptiones, adeo res leuissimi momenti, saepe

B 3

com-

f) In der Geschichte von Pohlen.

g) Geschichte von Frankreich.

h) Allgemeine Geschichte von Deutschland.

commemorant, ut lectoribus omnino taedium excitetur. Hic ipse vero locus de Dilecta factorum omnium optime exemplis illustratur. Quapropter nonnulla proferemus.

§. XIX.

Comparabimus itaque praestantissimum Britannorum scriptorem *Burnetium* *i)* cum *Daniele k)*. *Burnetius* ex variis rebus, quae anno millesimo septingentesimo primo acciderunt, eas in primis sibi ad explicandum elegit, ut primum mortem *Jacobi secundi* commemoret, et animi indolem virtutes ac vitia principis liberrime describat. Inde ex quibus causis haec ipsa mors, nonnullorum populorum consilia fortunamque turbauerit, sapienter indicat. Porro deliberationes in supra dicta curia Britannorum factas accurate exponit; qua rerum serie absoluta, ad historiam Scotiae Hiberniaeque progreditur, et ad ultimum varios belli, tum temporis in Italia gesti, casus, quatenus ad consilium historiae patriae conscribendae pertinent, breui repetit oratione. Nonne praestantissimus scriptor, propter hunc ipsum factorum dilectum summa laude dignus esse videtur? cuius ne quidem exiguum partem scriptori Gallorum tribuemus. Quomodo enim ille imitatione dignus iudicari possit, qui nobis ex multitudine memorabilium factorum tantummodo nuptias quasdam, electionem sacerdotis, mortem nonnullorum hominum, in primis Comitis de *Tourville* commemoravit. In illius vero comitis historia enarranda adeo est copiosus, ut non solum rerum ab eo, sed etiam ab eius patre gestarum, memoriam renouet, quae omnis narratio a proposito

i) *Histoire d'Angleterre* Tom. II. p. 253-297.

k) *Geschichte von Frankreich* 15ter Theil. Nürnberg 1763. p. 201-214.

posito suo longissime aliena esse videtur. Eundem fere morem imitatur Barrius, qui res gestas maiorum nostrorum memoriae prodere conatus fuit, ita ut nullo modo, vel recte ac laudabiliter, vel male facta hoc anno Germanorum enarrare, sed potius historiam exercituum, praeliorum, leuiumque certaminum conscribere videatur. Omnino vero hae ipsae praeliorum obsidionumque descriptiones ac exitus, ex ratione dilectus factorum, ita locum obtinent, quatenus reliquae res memorabiliter gestae, ex his ipsis illustrantur et dijudicantur.

§. XX.

Nondum haec Theoriae praecepta absoluimus, supersunt potius nonnulla, de iudicio de ipsis factis, eorumque translatione vel ad partes doctrinae, vel ad actiones humanas, vel ad rempublicam; denique de genere scribendi. Hoc ipsum de singulis factis iudicium, ea certe, quam pragmaticam nominamus, historia, postulare videtur. Etenim inter alia, et hoc praecipuum illius est officium, quemadmodum et ex autoritate praefantissimorum veterum scriptorum satis patet, ut quatenus facta et iusta et iniusta, honesta et inhonesta, reipublicae salutaria aut noxia, laudanda, posteritatique commendanda sint, clarissime doceat. Ex quo iterum satis colligitur, et cognitionem iurium, prudentiae ciuilis ac Philosophiae omnino a scriptore requiri, qui de singulis, quae commemorantur rebus, sententiam sapienter et recte ferre constituerit. Quam ob rem de hac coniunctione et Iuris-prudentiae et Sapientiae ciuilis cum historiarum cognitione, in hoc Theoriae studio paullo luculentius verba faciemus. Quodcunque factum porro, si hanc accommodationem et rei gestae natura ac grauitas postulat, siue ad singulas leges illustrandas, siue ad

Rem.

Rerum publicam emendandam, denique ad mores ciuium feliciter regendos, transferes. Nonne, verbi cauſa, ex historia Imperii Romano-Germanici cauſae legum germanicarum, ex parte etiam earum vicissitudines indagantur, et difficultima ſaepe capita Iuris feudalis, Publici, Germanici Priuati, Canonici, illuſtrantur ac explicantur. Nolo in re fatis nota exempla plura addere, lectorumque patientia abuti, quae tamen magis commoda nobis occaſione oblata, proferemus.

§. XXI.

Denique et genus dicendi, ad hanc ipsam Theoriam Historiae, pertinet, quod in primis praeftantia ingenii, lectione optimorum scriptorum, p[re] reliquis veterum, exercitatione denique, et v[er]o pulcherrimum efficitur. Quamuis intelligentissimi *Quintilianii* preceptum; Perspicuitas optima est orationis virtus, omnino rectissimum sapientissimumque esse videatur, tamen nescio an magis ad aliam orationis partem, quam ad conscribendam historiam, vel enarrandam memorabilium factorum seriem, transferendum sit. Facili negotio videmus, et secundum oeconomiam historiae, ipsamque naturam ac indolem rerum gestarum, hoc, vel illud genus dicendi, a nobis, omnium optime esse eligendum. Etenim quaecunque pars Historiarum, modo Annalistas, Annalistas Pragmaticos, Epitomatores, aut denique Compendiorum Scriptores consideres, proprium planeque diuersum ab aliis postulat genus scribendi. Quae res, quamuis per se clara sit, tamen exemplis eorumque comparatione egregie illuſtratur. In omnibus tamen narrationibus populare adhibendum erit genus scribendi, neque finitimum oratoribus, neque sermoni infimae plebeculae. Etenim, si adeo anxie, et in omnibus rei commemoratione locis, pulchri-

pulchritudinem exprimere, semperque magnifica oratione uti contendis, primam historiarum legem et praecipuam, ipsum veritatis studium interdum temere violabis et negliges! Nam singulari cura ad ipsa facta, quae indagamus, attendendum est, ne nostra pro alienis commemoremus, easque res ipsi narrationi adiungamus, quas nusquam relatas legimus. Facili negotio in hunc ipsum delabimur errorem, si nimis viuido ingenio praediti, ad considerationem singulorum factorum accedamus. Quapropter omnis ingenii vis, iudicii acumine et moderanda, et coercenda erit. Forsan *Voltarius*, qui omnes recentiores, (iam de eius fide omnino reiicienda non dispuo,) longissime superauit scriptores, nunquam in tam graues incidisset errores, nisi excellentissimum ei concessum fuisset ingenium. Velle tamen ut nostri, hunc ipsum *Voltarium*, quem saepe numero, (quamvis eum non intelligent) altissimo supercilio contemnunt, non quoad fidem eius, sed rerum dicendarum grauitatem, imitarentur. Tunc enim profecto non adeo ridicule omnes et leuissimas res narrarent, arcam Noachi describerent, et staturam *Adami* delinearent. — Ipsa factorum varietas grauitasque, omnium optime, naturalem orationis pulchritudinem, nobis ostendet. Ex ea, omnis enarratio, et ratione descriptionum, similitudinum, sententiuarum, Epitetorum et singularum dicendi formularum erit instituenda. Quis omnia facta iisdem verbis, eademque ratione commemorabit? quis nunquam se se et oratione paululum attollet, lectorumque attentionem excitabit? quis in admirabili virtute describenda, eius pulchritudinem non oratione adaequabit? Certe veteres scriptores pulcherrima nobis ad imitandum reliquerunt exempla. Ipsae porro descriptiones virtutum vitiorumque principum, et aliorum, qui res maxime memorables perfecerunt, mirifice vniuersam exornant rerum

C

gesta-

gestarum commemorationem. Ita et de sententiis erit dicendum, quae nisi grauissimae acutae recteque collocatae sint, magis lectoribus nauseam taediumque quam delectationem afferent. Haec omnis vero de genere dicendi doctrina, non regulis et praceptis absolutur, quae, si etiam accuratissime tencas, felicitate tamen ingenii destitutus, nunquam, sicuti in omni oratione, elegantis scriptoris gloriam, magnique nominis famam Tibi comparabis.



ORNAMENTUM

ORNATISSIMO DISSERTATIONIS
DEFENSORI
S. P. D.
CAROLVS RENATVS HAVSEN.

Gratissimum iucundissimumque mibi profecto est ornatissime Schaeffere, non solum Tua, quippe ingenium Tuum valde amo, sed etiam Parentis Tui causa, Viri de republica nostra egregie meriti, et non solum Iurium sed omnis humanae sapientiae consultissimi, quod in primis me moderatore, ingenium Tuum doctrinamque, celeberrimis academiae nostrae Doctoribus probare, et aliis tuorum studiorum rationem reddere, tecum constitueris. Laudabili profecto diligentia et Iuris Prudentiam, eique finitimum historiarum studium, bactenus excoluisti, quam virtutem, rectum-

que consilium, si etiam in posterum amplecteris, non solum spero,
sed etiam confido, Te, hereditatem paterni nominis sapientiaeque,
nouis Tuae virtutis accessionibus, insigniter aucturum esse. Hanc
doctrinæ, morumque integritatis laudem Parenti Tuo, viro
optimo, Tibique ex animo gratulor, et opto, ut immortalis Deus
tuis rebus semper prospiciat. Quaecunque laeta Tibi contingent,
ego certe, in huius tuae lactitiae societatem veniam, et quemad-
modum crafino die, in defendenda bac dissertatione, si forsitan
meo auxilio indiges, TE non deseram, ita, (mibi crede) Tibi
tuisque rebus, et opera, et consilio, paratissimus semper adero.
Scripsi die XXIV. Aprilis MDCCCLXIX.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

IOANN. CHRISTIANVS ANTONIVS SVTTHOFF

L. L. C. OPPONNENS.

LEVERA FRISO.

Tandem tandemque, vir, quicum magna mihi intercedit familiaritas, dies ille, amicis tuis, interque eos imprimis mihi, exoptatissimus influxit, qui, quomodo erga te sim adscitus, palam ostendendi, occasionem praebet opportunam. Quamprimum mihi innotescere inceperas, statim maxime studebam, quo pacto tecum amicitias conglutinarem. Quis enim VIRVM, cum doctrina, qua studio in disciplinas flagranti, solida imburus est, morum probitatem atque elegantiam sororio quasi vinculo iungentem, amore suo non prosequeretur, neque rursum ab illo amari in optatis haberet? Natura in te veluti, quid efficere possit, experiri voluisse videtur. Illa ingenium TIBI concessit, litteris natum, nec illas deesse voluit virtutes, quae ad earum culturam eo melius promouendam pertinent. Hisce instructus dotibus, nexum, quo omnes in uniuersum disciplinarum partes inter se se coniunctae sunt, rite perspexisti; atque imprimis ut in legum interpretatione haud impedito passu progredi queas, cum praecipuis subsidiarias combinandas esse

C 3

disciplinas



disciplinas arbitratus es. Tamen vir praestantissime, a vulgo, panis tantum lucrandi causa animum ad litteras adiungente, longe remotus, indefesso etiam studio et Philosophiae et historiarum aliarumque artium humaniorum campos es emensus. Luculentissimum, rem ita sese habere, crastinus dies producit testimonium, quo de historiae theoria dissertationem, in te defendendam suscepisti. Tantum igitur absit, ut Leguleiorum, rabularumque turbam, qua nec principum aulae vacuae, nec sanctae Themidos arae, nescio quo fato, immaculatae remanent, two adstipuleris accessu; ut veri potius nominis ictorum ordini post aliquot temporis lapsum prae ceteris adnumerandus esse videaris. Et quid mirum, cum praeterea viros perillustres CARRA-CHIVM et NETTEBLADTIVM, et consultissimum MADIHNVM duces tibi elegisti? Quae quam ita sint, non possum non parentibus TVIS HONORATISSIMIS filium dignissimum, et patriae ciuem praeclarum, ex quo multam ei sane salutem sperare licet, ex animi mei sententia gratulari. Quod reliquum est, numen illud benignissimum supplex oro rogoque, ut vitae TVAE longam annorum feriem addere velit, omniaque tibi in posterum ex voto succedere iubeat. Vale, dilectissime Schaeffere, meque amicitia TVA haud dignari perge. Halae Venedorum a. d. IIII. Calend. Maias 1500 LXVIII.

VIRO

VIRO OPTIMO AC DOCTISSIMO
S C H A E F F E R O
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOANNES GABRIEL KATERBAV, SAXO.

SACR. DISCIPL. CVLT.

OPPONENS.

Permittas, Amice suauissime, vt hasce lineas doctissimae Tuae dissertationi, tamquam publicum animi, quo Te Tuamque litterarum cognitionem colo, documentum apponam. Singularem sane in me contulisti honorem, dum eorum, qui amice contra Te pugnant, subfella conscendendi et dissentientis munere fungendi, benigne potestatem mihi fecisti. Officii itaque mei atque amicitiae meae esse arbitratus sum, Tibi pro tam insigni amicitiae Tuae specimine gratias persoluere simulque publice gratulari. Tibi, Patriae Tuae, et reipublicae de Te Tuaque eratione gratulor. Seruet Te semper Deus optimus maximus omni tempore saluum et incolumem, largiatur Tibi idem supremum numen omnem, quae in mortales cadere potest, felicitatem, redatque Te feliciter Patriae Tuae, et sic quidem, vt vberimi abs Te ad eam redundant vitae Tuae fructus. Vale Amicorum optime, res Tuas age feliciter, omnicque officii, amicitiae atque humanitatis genus a me, Tui amantissimo Tuique studiosissimo, exspecta. Halae d. xxvi. Apr. clocclix.

VIRO



VIRO DOCTISSIMO
S C H A E F F E R O
AMICO SVAVISSIMO
LECTISSIMOQVE
CHRISTIAN GOTTLÖB SCHWARZ
SPROTTAVIA-SILESIUS.

Quamvis iam satis amicissimum animum mihi probaueris; et hoc tamen ad-
dere voluisti argumentum amicitiae, ut me honoris istius, quem hodie Tibi
comparabis, participem facere volueris. Gratulor Tibi itaque de hac Tua do-
ctrina, quid? mihi gratulor, cum hodierna die animum Tibi deditissimum pro-
fiteri ac ostendere possim, maximoque mihi erit gaudio, si etiam in posterum,
me hac Tua amicitia, quam magni aestimo, non plane indignum esse iudices.
Halae d. XXVIII. Aprilis MDCCLXIX.

AMICO SVAVISSIMO
IOHANNES CHRISTOPHORVS WENDE

SILES. L. L. C.

Maxime laetor de Tua amicitia, quae mihi semper sancta erit, in primis de
honore, quo me hodierno die dignum iudicas. Magno profecto hono-
ri mihi duco, quod me inter familiares Tuos recipere non dubitaueris,
cum et praestantia Tui ingenii et reliquae virtutes, iam dudum recta aemula-
tione aliorum dignae iudicatae fuerint. Quam multa alia, his Tuis laudi-
bus addere possem, nisi haec ipsa oratio Tuam offenderet modestiam. Quod
reliquum igitur est Tibi velim persuades, me nulli Tuorum vel amore, vel
fide, vel aliis amicitiae officiis unquam esse censurum. Halae die XXVIII.
Aprilis MDCCLXIX.

Ne 1680.

8

ULB Halle
001 508 342

3



St.

Nur für den 7.09.1921

7.5.



DE
THEORIA HISTORIAE CIVILIS
NONNVLLA.

PARS SECUNDA.

QVAM
SVB PRAESIDIO
CAROLI RENATI HAVSEN
PHILOSOPHIAE P. P. O. ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE
ET REGII INSTITVTI HISTORICI GOTTINGENSIS SOCII
ORDINARI.

DIE XXVIII. APRILIS MDCCCLXIX.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SUBIICET

CAROLVS FRIDERICVS LVDOVICVS SCHAEFFER

WRAT. SIL. I. V. C.



HALAE
LITTERIS CVRTIANIS.

